

ES THEOL.
MUSEI



Dies mußte /

14

I. N. S. S. T.

EXERCITATIO THEOLOGICA

DE

PECCATO

IN

SPIRITUMS ANCTUM

Quam

SUB FELICI PRÆSIDIO

VIRI

*Maximè Reverendi, Amplissimi atq;
Excellentissimi*

DN. JOHAN. WEINMANNI

SS. THEOL. D. ET P. P. PRIMARI LONGE CE-
leberrimi, Antistitis Diœceseos Altdorffinæ

vigilantissimi, Patroni, Præceptoris ac Pro-
motoris sui omni observantiæ ac honoris
cultu æternùm devenerandi,

IN ALMA NORICA

Placido Eruditorum examini submittet

THOMAS Starcken / Gronoviâ Saxon. infer.

Autor & Respondens

Ad diem VIII. Jul.

Anno à partu virgineo c1o 1o C LXIII.

✻*****✻

Typis GEORGI HAGEN, Universitatis
Typographi.



VIRIS

REVERENDA DIGNITATE, GRAVI AUTORITATE,
rerumq; Theologicarum varietate Excellentissimo,
atq; Clarissimis,

DN. ACHATIO MYLIO, SS. Theol. D. Celeberrimo,
Ecclesiae Evangelicae per Episcopatum Hildesensem Superinten-
denti generali, ejusq; Consistorii Praesidi Spectatissimo, &
Ecclesiae Alfeldensis Pastori vigi-
lantissimo.

DN. M. LEVINO DROSEMARIO, Ecclesiae Gronoviensis
Superintendenti gravissimo, dictiq; Consistorii Assessori dignissi-
mo, Theologo maximè conspicuo.

S. D.

Vestra meis grandes adjecit gratia Musis
Auctus, Divini Praecones dogmatis, amplos
Germanus quorum titulos, & nomina summo
Erebit ad Cali splendentia sidera plausu.
Hinc, ne deformem malè grati more cuculi
Me signo melior deluderet orbis inusto,
Vobis primitias (annus nunc labitur alter)
Transmisi tenues. Jam gratæ quando tabellæ
Præmiaq; aurifero Gangis mage splendida limo,
Quæ vestris habui manibus, docuere, benignam
Quod nactæ frontem fuerint; hos audeo rursus
Ingenii fœtus Vobis inscribere, quanquam
Incultos, comptosq; parùm; proportio quanquam
Nulla sit, & parili non possint lance reponi;
Haud tamen ingratos prorsus speravero, cum non
Thurea Cælicolæ capiant libamina semper,
Ex illis campis, quos scribitur inclytus ales
Phoenix annosis crebro percurrere pennis.
Finio; sed votum superest: pertingite multis
Annis Nestoreæ felicia secula vitæ,
Magni Fautores, eadem quoq; fata supremum
Vestris det Numen domibus: sic tecta Lycæi
Pierii, templiq; fores & rostra citato
Gressu syderel penetrabunt Moenia Cœli.

Dabam Altdorphi è musæo
meo 4. Non. Julii

V. V. Rev. Dign.
Observantissimus

THOMAS Starcken / SS. Th. Stud.
Autor.

PRÆFATIO



*U*enadmodū herba Moly, teste Plin.

lib. 25 .c. 9. difficile quidem effoditur, sed ad remedia, præter cæteras, efficax est: ita quoq̄, licet peccati in Spiritum S. cognitio gravis sit, ejusq̄ enucleatio difficilis, teste Augustino, magno illo Ecclesiæ jubire, Tom. X. Serm. XI. de Verbis Dom. quando inquit: Deum nos exercere voluisse difficultate quæstionis de peccato in Spiritum sanctum; cū in omnibus Scripturis sanctis fortè nulla major, nulla difficilior inveniatur; explicata tamen & percepta non suâ destituitur efficacità, sed tentatas erigendæ conscientias utilissimum est remedium. Facile enim contingit, ut peccatores, naturam hujus tanti flagitii ignorantes, quando audiunt, aliquod esse peccatum, quod neq̄ in hoc, neq̄ in futuro remittatur seculo, sese illius reos autument, ac proinde vel à diabolo in desperationem conijciantur, vel saltem ab eâ non procul absint. Exemplo nobis est Franciscus Spiera, qui licet reverâ hujus tam enormis peccati reus non esset, nihilominus astutiâ cacodæmonis inescatus & obnubilatus, sibi tam fortiter fuit imaginatus, ut aliter persuaderi non potuerit, sed in horrenda sua desperatione vitam cum morte commutârît. Ut igitur conatibus diabolicis eò audentius resistere, atq̄ nosmetipsos ex infernalis Tenebrionis retibus ac laqueis eripere valeamus, tandemq̄ sciamus: quinam hujus atrocissimi criminis rei agendi, quive ab illo sint absolvendi: constituimus pro ingenio nostrî tenuitate, per breviter in peccati hujus naturam ac indolem, non quidem ex rationis nutu, sed Scr. S. ductu paulò altius inquirere. Quia verò

Nullius est felix conatus & utilis unquam,

Consilio nisi, Tu, SPIRITUS alme, juves.

Non abs re erit, prius, antequam rem ipsam aggrediamur, TE, DIVINUM NUMEN, precibus ardentè invocare,

Ut des optatum felici sidere cursum.

Quâ anchorâ nunc jactâ firmissimâ navis nostra non collidetur.



THESIS. I



Acturiam de peccato in Spiritum S. brevitatis causâ, non commoremur in quæstione, an detur aliquod speciale peccatum in Spiritum S. cum luce meridianâ clarius vel exinde pateat, quod Scr. S. peccatum hoc appellet *blasphemiam Spiritus*, notisq; variis illud circumscribat. Matth. XII. 31. 32. Mar. III. 28. 29. Luc. XII. 10. Heb. VI. 4. 5. 6. c. X. 26. 27. 28. 29. I. Joh. V. 16. Nec obstat, quod nonnulli ex hac Theologorum maxima: *Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa*, contrarium concludere nitantur. de quo vid. B. Meisn. in Anthropol. dec. I. q. I. §. 2.

II. Sed statim nos conferamus ad peccati hujus Definitionem, quam formamus talem: *Peccatum in Spiritum S. est veritatis cælestis, imprimis Evangelicæ, jam agnitæ & approbatæ, destinato consilio voluntaria abnegatio, malitiosa blasphematio, hostilis impugnatio, omniumq; salutis mediorum ad extremum usq; vitæ halitum perseverans abjectio.*

III. Dicitur autem ab objecto peccatum in Spiritum S. non I. εσιωδῶς, respectu essentiæ divinæ, quâ Spiritus S. est DEUS. Nec II. ὑποκεικῶς, respectu personæ Spiritûs S. Non enim major est dignitas personæ ipsius, quàm Patris & Filii: nec offendi una personæ Deitatis potest, quin injuria in cæteras quoque personas redundet. Sed III. ἑνεργητικῶς, respectu beneficii & officii, quod immediatè Spiritus S. præstat, veritatem docens & patefaciens in cordibus hominum, eosq; convincens in conscientia ipsorum, Jesum esse Christum illum, & unicum Servatorem, per quem nos oporteat servari.

IV. Ab actu vocatur τῆ πνεύματος βλασφημία Matth. XII. 32. Quicumq; enim huic peccato sunt obnoxii, Spiritui S. maledicta & convicia ingerere non intermittunt. Est autem hæc βλασφημία, uti ex tenore vocis liquet, (constat enim uti non-
nemo

nemo contendit, vel ex nom. βλάξ, quod *futile* vel *inutile* sonat, & hîc ignominiosum connotat, ac verbo φημι, *dico* seu *pronuncio*; vel potius ἐκ βλάβειν, *ledere*, & τῆς φήμης *fama*,) quando aliquis attribuit DEO, quodei non convenit, sed ad ejus ignominiam facit; vel denegat & detrahic quæ ipsius sunt, & ad ejus gloriam spectant, secundum August. & Thom. 2. 2. q. 13. art. 4.

V. Cæterum à *consequente pænâ*, certissimâ, sc. morte & damnatione æternâ, καὶ ἐξοχὴν nuncupatur ἀμαρτία πρὸς Δάναλον I. Joh. V. 16. Quamvis Erasmus, aliiq; magni nominis Theologi hunc locum aliter explicent, imò nonnulli *de peccato perseverantia* intelligere malint; mihi tamen (licet eorum opinionibus pertinaciter non resistam, ne occinetur illud: *Sus Minervam*) sententiam B. Meisneri, Exc. Dn. D. Præsidis, aliorumq; Clarissimorum virorum secuto, videtur, eum haud inconvenienter de *peccato in Sp. S.* intelligi posse; quia (1) Johannes sub peccato non ad mortem tendente, non modò *infirmitatis*, verùm etiam *malignitatis*, (quod aliàs vocatur *peccatum contra conscientiam*) peccatum comprehendit. II. si locus iste de aliâ peccati specie esset intelligendus, precum, quarum ibid. fit mentio, negatio videretur repugnare, tùm præcepto Apostoli 1. Tim. II. I. ubi *deprecationes ac interpellationes vult fieri pro omnibus hominibus*, tùm exemplis, Christi, qui ipsemet in cruce *pro suis crucifixoribus orasse* legitur, Luc. XXIII. 34. Mosis, Exod. XXXII. 30. Stephani, Act. VII. v. ult &c, Plura vid. ap. Excell. Dn. D. Fewbornium in dissert. de pec. in Sp. S. c. 3. p. 12. Dicitur autem hoc peccatum esse ad mortem, non solum *effectivè*, quod mortem in hominibus efficiat; hoc enim cum reliquis peccatis habet commune, cum uniuscujusq; *stipendium sit mors* Rom. VI. v. ult. sed simul *executivè*, quia homines in mortem & exitium æternum necessariò, & inevitabiliter, (non tamen ex absoluto quopiam Dei decreto, sed *immotâ* ejus judicis & vindicis justitiâ) præcipitat, quod reliqua
A 3 peccata,

peccata, quanta & qualiacunq; etiam sint, non faciunt: sed admittunt remissionem, modò ipsi peccatores resipiscant, & suæ conversioni haud ponant obicem, loquor ita cum Excellentiss. Dn. D. Præs. in Disp. elegantiss. de peccat. in Sp. S. §. 24.

VI. Deniq; ab adjuncto peccatum illud nominatur *irremissibile*. Non (i) *ex parte Dei*, quasi suâ atrocitate misericordiam DEI Patris, & Christi meritum superet & excedat; pugnat enim hoc è diametro cum universâ Scripturâ S. quæ contrarium docet, dum meritum κατὰ τοὺς ἰουδαίους urget, Joh. III. 13. Rom. V. 20. I. Tim. II. 4. I. Joh. I. 7. c. II. 2. &c. Nec (ii) *quod non remittatur sine pœnitentiâ*, uti contendunt Theophylactus & Toftatus Comm. in Matth. XII. q. 17. p. 39. quia de omnibus peccatis hoc dici potest. Nec (iii) uti Bellarminus l. 1. de Verb. Dei c. 17. existimat, *quòd ex malitiâ peccans nihil in se habeat, unde ejus remissionem (vel aliquid misericordiæ) mereatur*. Nec (iv) *quòd peccatum hoc committentes sint reprobi*, uti Zanchius asserit in Misc. p. 235. Nec (v) *quod magnâ difficultate remittatur* uti volunt Greg. de Valent. tom 3. com. Theol. disp. 1. q. 14. Bellarm. l. 2. de pœn. & Barradius tom 2. l. 8. c. 17. sed tantùm (vi) *ex parte subjecti*, hominis scil. crimen hoc perpetrantis, meritò dicitur *irremissibile*, seu ἀσύγνωστον ἢ ἀναπόδαστον, juxta Athanas. T. I. p. 770. quia talis à Christo, extra quem nulla reliqua est hostia, Heb. X. v. 26. spontè deficit, omniaq; organa ac media, quibus ad salutarem pœnitentiam duci posset, contumaciter & indefinenter contemnit, fastidit & persequitur. Quo factò, istandem *in mentem atq; sensum reprobum conijcitur*, Rom. I. 28. cor ejus induratur & excæcatur, ut non cupiat reverti, sed inflexibili quodam & obfirmato proposito persistat, deniq; sciens volens in τὸ πῦρ τὸ ἀσβεστον ἢ τὸ αἰώνιον in ignem inextinguibilem & æternum Marc. IX. 43. 45. & Matth. XIX. 8. præceps ruat.

VII. Expositis sic atrocissimi hujus criminis appellationibus & synonymis, dilucidanda jam veniunt ejus συζητήσια

προσκει-

περὸς τὰ κείμμενα, quorum quædam circa *objectum seu materiam*, quædam verò circa *formam* occupantur. Objectum ejus immediatum, *ὁμοίον* & genuinum, non consistit in dissolutâ vitæ licentiâ, quamvis omnis hoc immani scelere coinquinatus vitiosam quoq; & perversam ducat vitam, omniq; honestati & probitati remittat nuncium: sed versatur circa fidem & doctrinam cœlestem. Demonstratur hoc tum *ex antithesi Apostolicâ*, quâ peccatum in Spi. S. à peccatis morum, quibus lex violatur, secernitur; tum *ex irremissibilitate*, quia omnia peccata in moribus consistentia remittuntur, id quod Ef. I. v. 18. aliisq; plurimis Scripturæ locis ostendi, perq; singulas peccatorum species declarari potest.

II. Nos autem per *verbum Dei seu doctrinam cœlestem* imprimis & potissimum cum Theol. Dd. intelligimus *doctrinam Evangelicam*, utpote, quæ *Spiritus vivificans vitæ* audit, ideoq; cum Excel. Dn. D. Præs. Instit. disp. 6. §. 52. definimus hoc peccatum per *abnegationem veritatis cœlestis, præsertim Evangelicæ*. Ut ut verò legem *ἀπὸ λῶς* non excludamus, tum quia inficiamur cum jam laudato Dn. D. Præs. (vid. Instit. disp. 9. §. 49.) Evangelium propriè sit dictum esse concionem pœnitentiæ; tum quia officii Spi. S. est, non solum *ὁρᾶν καλῶς*, sed & *ἐλέγχειν* Joh. XVI. 8. distinguimus tamen cum citato Meisnero, Anthropol. dec. I. disp. X. q. 3. §. 20. inter legem *quatenus consideratur ut norma & regula actionum humanarum, & quatenus spectatur ut doctrina & verbum Dei*. Illo modo respectum habet ad actus hominum turpissimos: hoc verò ad fidem & veritatem. Illo modo contra legem peccat, quicumq; eam violat & transgreditur, quo sensu, omne peccatum mortale est adversus legem quatenus est *ἀνομία*: hoc verò modo, quatenus lex consideratur ut pars fidei & doctrinæ, speciali ratione aliquis circa legem, in Spi. S. peccare potest, eam nimirum opprobriis afficiendo & pro doctrina DEI non agnoscendo. Ut si quis legis Mosai-
cæ auto-

cæ autorem non DEUM, sed diabolum habeat, illiq; pervicaciter inhæreat, is utiq; peccatum in Sp S. committit.

IX. Cæterum quando dicitur hoc peccatum versari circa doctrinam, non necessarium est, ut *ἡ ἀλήθεια* illud à veritate divinâ semper sit totale & integrale. secundum omnes fidei articulos: sed sufficit partialis defectus, & cardinalium articulorum, ad salutis adeptionem, omninò necessariorum, turpissima infitiatio & oppugnatio. Id quod evincitur exemplo Phariseorum, quos Christus hujus flagitii reos pronuntiavit, etsi ab universali fide non defecerint. *Sederunt enim, teste Christo, in cathedra Moysis, quæ cõnotat ejus doctrinam, Matth. XXIII. 2. Urserunt circumcisionem & legem Moysis, Act. XV. 5. Et confessi sunt resurrectionem mortuorum, Act. XXIII. 8. Idem probant exempla hæreticorum, quorum multi contumaces atq; præfractæ frontis, quatenus respuunt omnem admonitionem, ἀνολογῶντες, suo pte judicio condemnati, Tit. III. 10. hujus tam enormis flagitii rei sunt, etiamsi non prolabantur universaliter, sed aliqua doctrinæ christianæ capita retineant integra. Hoc ni facerent, non amplius hæretici, sed potius gentiles & pagani dicendi essent. Licet autem hic defectus partialis sit, ita tamen est comparatus, ut secum trahat & pariat multos alios, ob cohærentiam articulorum fidei. *Sicut enim rupto uno catena annulo, ipsa catena non amplius est integra: ita abnegato uno fidei christianæ articulo cardinali, non est ulterius integra ipsa fides & religio christiana, ait Meisn. contra Socin. pag. 252.**

X. Succedunt jam requisita hujus peccati ad formam, seu essentiam pertinentia, quorum I. est *ἁποστασία*, à veritate, vel saltem in conscientia, vel simul per publicam antegressam ejusdem professionem, comprobata, sicut Apost. Paulus in epist. ad Hebræos c. 6. his describit notis, quòd hujusmodi peccatores (1.) fuerint illuminati; lumen tamen Spiritus deliberatâ impietate suffocârint. (2.) gustaverint donum cæleste i. e. gustum seu initium

tium fidei, illum tamen respuerint. (3.) *participes facti sint Sp. S. dona hominibus conferentis*; ab illius autem sanctificatione sese alienarint. (4.) *gustaverint bonum verbum DEI, & virtutes futuri seculi i. e. gustum seu primordia intelligentiæ Scripturarum & cognitionis*; ea autem pedibus conculcarint. Qui igitur à Spiritu S. hætenus illustratus est, ut veritatem si vel maximè cupiat, ignorare non possit, & tamen destinatam malitiam, cum ipsi, cum auctori DEO bellum indicit, & opera, quæ à Spiritu S. facta probè novit, spiritui immundo nefariè tribuit, is verè in Spir. S. peccare dicitur.

XI. Hic autem sciendum est, quod veritatis agnitio sit duplex: altera *πνευματικὴ ἔμπροσθεν ἰσχυρῶν, spiritualis, & per gratiosam Sp. Sancti inhabitationem obsignata*, quæ non semper ad hoc peccatum in Sp. S. requiritur; altera verò *ῥημυαλικὴ, merè literalis & pedagogica*, qualem habent etiam diaboli, & hæc *ἐπιγνωσις* semper ad hoc execrabile delictum requiritur. Hinc nullius momenti est, quando nonnulli Phariseos hujus requisiti ideò dicunt expertes, quòd cæcitas intellectus cum plenâ scientiâ consistere nequeat: sed cæcitas & excæcatio mentis sit nihil aliud, quàm ignorantia. Jam verò de Phariseis prædictum esse, *quòd essent excæcandi*, Es. VI. 9. & Christum hoc ipsum ad illos applicasse Joh. XII. 40; E. Resp. quamvis gratiosa scientia cum cæcitate mentis consistere non possit: literalis tamen potest. Etsi igitur Pharisei vel sensu deprehendere poterant, doctrinam Christi esse cælestem, & miracula addita planè divina: ipsi tamen excussam hanc & neglectam manifestam *γνώσιν*, tanquam cæci ruunt, Christum oppugnant, doctrinam ejus falsam accusant, & miracula non virtute DEI, sed diaboli fieri clamitant.

XII. 2. Ad hujus nefandi flagitii integritatem adesse & concurrere debet certò, *sufficienterq; & evidenter agnita veritatis hujus cælestis voluntaria, & destinato consilio facta abnegatio & rejectio*, ut is, qui veritatem abnegat aut impugnat, non tan-

B

tum



rūm sciāt, quōd veritatem neget & impugnet: sed etiam faciāt id non coactus, verūm ἐν σίῳ, spontē & ultrō, ex merā malitiā & perversitate mentis. Evenit enim, ut multi, tempore persecutionum ex infirmitate humanā, aut innatā pusillanimitate, vel metu periculi aut mortis perterriti, vel gravitate captivitatis aut tormentorum victi, vel aliis deniq; causis voluntatem permoventibus, & in transversum rapientibus, commoti & seducti, veritatem abnegārint. Quorum cæteris sicco (ut ajunt) pede prætermisissis, clarissimum habemus exemplum in Petro, qui Christum scienter quidem abnegabat, veruntamen non destinatā purā putā malitiā: sed circumstantante mortis horrore & timore percussus. Quod constat tūm ex Matth. XXVI. v. 71. tūm ex ipso eventu. Si enim Petrus ex mero malitioso proposito, agnitum Christum abnegāsser, tunc peccāsser in Spiritum S., nec unquam veniam consecutus esset. Quando igitur peccantes in Sp. S. ἀμαρτάνειν ἐν σίῳ dicuntur, Heb. X. v. 26, tunc τὸ ἐν σίῳ non licet opponere interioribus animi affectibus, quasi illi, qui ex mero odio & inimicitia adversus DEum in transversum abrepti, aut qui ambitione, vel cupiditate gloriæ, vel appetitu divitiarum, & terrenarum voluptatum, quibus inter veritatis hostes commodius datur perfrui, in hoc infandum scelus inducti, veritatem cælestem agnitam abnegant, blasphemant & oppugnant, ἀνυσίῳ id fecisse dici debeant: sed opponitur causis πικρὰ ἀρῆμῶν supra allatis, quæ peccatorum voluntatem non relinquunt verè liberam, sed eam ligant, captivant & offuscant. Sicut enim divinæ veritatis abnegatæ notitia, quæ est in horum prævaricatorum intellectu, debet esse & persistere firma: ita quoq; voluntas eorum verè debet esse & manere plenè libera, non extrinsecus ligata, sed cum libero arbitrio, & destinato consilio malitiosoq; proposito & merā pravitate conjuncta.

XIII. 3. Requiritur ad essentialē hujus peccati constitutionem *contumeliosa abnegatæ veritatis cælestis blasphematio;* quæ

quæ quid sit, supra §. 4. diximus. Committitur autem talis
βλασφημία duplici ratione & modo 1. *λόγῳ ἐνδιαθέτω*, sermo-
 ne intra mentem formato, vel etiam interno cordis affectu,
 injuriosè meditando, & probrosè judicando, sicut Ipsum ve-
 ritatis Os, Matth. XV. 19. expressè inquit: *ex corde egredì bla-*
spemias. Sic dira Phariseorum scommata, quibus Christi
 proscindebant miracula, non tam linguâ exprimebantur,
 quàm in corde malitioso concepta erant. Hinc Matth. XII. 25.
 Ubi Phariseorum depinguntur convitia, Jesus dicitur *cogno-*
visse cogitationes eorum. (2) *λόγῳ προφορικῶ ἢ γραπτῶ*, externo
 vobis actu, vel scripto, vel ore prolato, quando adeò virulen-
 ta hostium veritatis iracundia effervescit, ut amplius sese con-
 tinere non possit, sed in aperta convitia prorumpat. Vid. 2.
 Par. XXXII. 16. 17. & Apoc. XIII. 5. Rarò enim fit, ut, qui ma-
 litioso corde veritatem cane pejus & angue detestatur, ore
 quoq; spurco non convitietur. Siquidem, ut Christus ait ad
 blasphemantes Phariseos, Matth. XII. 34. *Progenies viperarum,*
quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ἐκ τῆς περισσοῦς
 τῆς καρδίας τὸ σῆμα λαλεῖ, *ex abundantia cordis os loquitur* &c.

XIV. 4. Formale requisitum est *hostilis & pervicax a-*
gnitæ & abnegatæ veritatis cælestis oppugnatio. Non enim con-
 tenti sunt doctrinæ cælestis hostes, cordis, vocis, aut calami
 blasphemia: sed insuper eam ferro ac vi, omniq; telo-
 rum genere insectari, suppressere & oppugnare, cunctis velis
 remisq; contendunt. Quemadmodum hoc evincit tum exem-
 plum Pharaonis, Phariseorum, lapidantium Stephanum &
 Juliani Apostatæ: tum testimonium Apostolicum, Heb. X.
 29. Ubi hi peccatores dicuntur *Filium DEI καὶ ἀπαλεῖν, conculcare*
& pessundare. Porrò oppugnatio hæc fieri potest, juxta lau-
 dat. D. Fewrb. in cit. diff. c. XV. p. 250. vel (1.) *ἀμέσως*, dum
 peccantes in Sp. S. aut verbis, literis, vel armis veritatem di-
 vinam oppugnant: aut tantum in cordibus suis percipiunt,
 ut eadem persecutionibus hostilibus opprimatur, idq; unice in-



tendunt. Vel (2) ἐπιμέσως, quando iidem odio veritatis divinæ ardentes, alios aut rogant, aut jubent, aut iis suadent, ut ipsam opprimant, ejusq; cultores & impigros defensores ecent, aliisve modis è medio removeant.

5
XV. 5. deniq; requisitum est *cum oppugnata veritate, omnium salutis mediorum perpetua abjectio*. Tales enim homines Christi meritum, passionem & mortem cavillantur, explodunt & abominantur, Pactiq; sanguinem, per quem fuerunt sanctificati, profanum ducunt, & Spiritui S. obicem ponunt, quo minùs illorum corda emollire & cælesti rore perfundere possit.

obi.
XVI. Objiciunt verò nobis hîc Calvinî Affectæ, Verbum & Sacramenta, utpote media salutis *δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ σωτικῇ* prorsus spoliantes, de quibus vid. max. Rev. Dn. D. Præf. Instit. disp. I. §. 40. & seq. *Christum pro peccantibus in Sp. S. non ordinasse media. Non enim pro illis passum & mortuum esse, nec unquam Christo Servatori nostro in mentem venisse, imò, eum nunquam proposuisse; propositum consiliūq; DEI æternum, voluntatemq; Mediatoris nunquam fuisse, sanguinem suum pro peccatis singulorum hominum effundere: sed factam esse hanc effusionem tantum pro electorum & fidelium peccatis, uti videre est apud Martin. de Sacram. mand. p. 83. Piscator. Herborn. in I. Tim. 2. observ. ad v. 6. & Bucan. loc. de prædest. q. 23. hocq; exinde conantur probare; quia Christus frustra pro expiando in Sp. S. peccato sese litasset & obtulisset. Suum enim finem non esset assecutus, nimirum salutem & remissionem, quia hoc peccatum dicitur irremissibile. Ast respondemus nos primò: Christum, quoad voluntatem suam ordine antecedentem, omnibus omninò, adeoq; in Spir. S. peccantibus ordinasse media, resipiscendi, & salutem æternam consequendi. Id quod constat exemplo (I.) *Phariseorum*, qui quidem peccarunt in Sp. S.; veruntamen in infantia sua fuerunt circumcisi (in qua circumcissione habuerunt pollicitationem remissionis omnium
omni-*

omnino peccatorum, per fidem in Messiam, caput serpentis⁹
infernalis conculcaturum) & in foedus DEI asciti. (2) *Chri-*
stianorum, qui peccatum in Sp. S. committunt, & tamen in in-
fanzia fuerunt baptizati, perq; Baptismum omnium suorum
peccatorum remissione donati. (3.) *Eorum in Sp. S. peccatorum*,
de quibus sermo est Heb. X. 26. seqq. Nam si hi ante suum pro-
lapsum fuerunt sanctificati per sanguinem Testamenti, utique
simul per verbum reconciliationis, quod est salutis aeternae
medium, hoc tantum beneficium acceperunt. Siquidem alias
Verbum DEI ita rejicere non possent, ut propterea conde-
mnarentur, nisi hoc illis, ceu medium conversionis & salva-
tionis, fuisset datum & ordinatum. Nemo enim justè damna-
tur propter id, quod ex DEI voluntate nihil ipsum attinet.

XVII. *Secundo resp. Christum μεσίτην nostrum pro o-*
mnibus hominibus peccatoribus, non solum fidelibus, sed et-
iam infidelibus ac impiis, satisfecisse, passum & mortuum, il-
losque, qui eum abnegant & damnantur, quales etiam sunt
peccatores in Spir. S., verè suo mercatum esse sanguine, sole
meridiano clarius ostendere haec Script. testimonia, Rom. XIV.
v. 15. 2. Cor. V. 14. 15. Heb. II. 9. 1. Joh. I. 7. c. II. 2. 1. Pet. I. 19. & 2.
Pet. II. 1. &c. Nec quicquam valet illa sequela: Si Christus pro
expiando peccato in Sp. S. sese obtulisset, E. remitteretur. Siquidem
Christi oblatio in cruce non est solitaria causa justificationis
quae formaliter in remissione peccatorum consistit, sed ex par-
te hominis justificandi requiritur etiam fides, per gratiosam Sp.
S. illuminationem, ex verbi divini auditu, Rom. X. v. 17. & per
sacramentorum divinorum perceptionem accensa, data & cō-
firmata. Quia verò taliter peccans illa media rejicit ac con-
vitiis proscindit, & quidem perseveranter; ideò justissimus
ille iudex & vindex Christus, illum deserens, in peccatis suis
perseverare permittit.

XIIX. Distinctè igitur & seorsim, cum essentialia hu-
jusce peccati requisita sint explicata, paucis ut ostendamus, fas

jam est, illa indistincto vinculo, & nunquam distinguenda
segregandaq; copulâ, ad hujus sceleris rationem & quiddita-
tem pertinere, ita ut, si unum alterumve eorum desit, nihil mi-
nus, quàm peccatum in Sp. S. dici debeat. Probamus illud ex-
emplo Petri & Pauli. Siquidem illi Christi cognitio, & cogni-
ti abnegatio: huic verò ejusdem, sed incogniti, oppugnatio
& blasphematio competunt; neuter tamen in Sp. S. peccavit,
id quod ex illorum conversione perspicuum est. Sequitur er-
gò συνδρομὴν καὶ συζυγίαν recensitorum requisitorum esse de for-
malis hujusce criminis ratione.

XIX. Haecenus peccati hujus demonstravimus requi-
sita: restaret jam progrediendum ad ejus adjuncta, quorum
palmaria sunt, 1. *Induratio*. 2. *Impenitentia finalis*. 3. *Precum
intermissio*, & 4. *Irremissibilitas*. Quoniam verò pagellarum
paucitas, quæ mox colophonem addere jubet, de hisce singu-
lis tractari non permittit, conflictui illa publico reservabimus.
Hoc tantum addimus, quòd non ingrediantur peccatum in
Sp. S. constituendum, sed constitutum demum sequantur.

XX. *Longum iter per praecepta*, inquit Seneca, *breve &
efficax per exempla*. Quemadmodum enim generalia praece-
pta à singularibus abstrahuntur, & difficilius cognoscuntur:
ita singularia multa, ope intellectus & sensuum collecta, fa-
cilis id menti imprimunt, quòd aliàs capere haud posset. Hoc
quoq; ad ingenii obruffam perpendiculares, unum atq; alterum
exemplum, quòd peccati hujus naturam & quidditatem ex-
primere videretur, in medium proferre, animus fuit. Monent
autem nostri Theologi, haud temerè esse pronunciandum de
hoc peccato, ejusq; exemplis. Etenim non viget hodiè in Ec-
clesia donum ἀγκύσεως πνευματικῶν, quemadmodum in Eccle-
sia primitiva Petrus Ananiae & Sapphirae ὑπόκρισιν agnovit. Act.
V. v. 8. Idcirco nemo facile illius argui & insimulari debet,
praesertim si adhuc est in vivis; cum satis non constet, an omnia
requisita in eum conveniant. Propterea eorum admonitioni-
bus

bus obtemperantes tantum illa enarrabimus, quæ nobis Scriptura præbet indubitanter vera.

XXI. I. Proferemus exemplum Auditorum Jeremiæ, qui dicunt ad Prophetam: *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus regina cæli &c. c. XLIV. v. 16.* De his dicit Jeremias: *Negârunt Dominum, & dixerunt: non est ipse, neq; veniet super nos malum &c. c. V. v. 12. & c. VI. 16.* dixerunt: *non ambulabimus, non audiemus. c. VII. 16.* prohibetur Jeremias *pro iis orare.* Ex quibus omnibus facile colliguntur *τεκμήρια καὶ ἀποδείξεις* hujus peccati. II. Pharaonis exemplum dilucidissimè explicatum vid. in Anthropol. supra laudati Meisn, disp. X. dec. I. §. 8.

XXII. Ex N. T. constat clarissimum Phariseorum exemplum. Abnegabant enim illi purè, *ἐκείως*, & ex merâ malitiâ agnitam cælestem veritatem, eamq; plus quàm Vatiniano prosequerantur odio, diris proscindebant blasphemias, hostiliter oppugnabant, omniaq; salutis media respuebant, & ut Spiritûs S. virtutem magis magisque deprimerent, Christum nomine *Beelzebub* infamabant, sicut ex historia Evangelica manifestum est.

XXIII. Tandem ut ex historia Ecclesiastica unicum adferam exemplum, videtur hoc tam atrocissimo scelere se obstrinxisse, imò ejus vivam expressisse imaginem *Julianus Apostata.* (vid. Exc. Dn. D. Henich. in comp. Theol. c. V. q. 10.) Qui licet, teste Cyrillo Alexandrino l. I. contra Julian. privatæ vitæ tempore credentibus fuerit annumeratus, sanctoque Baptismate lustratus, & in sacrorum librorum lectione exercitus: nihilominus tamen suâ quorundam malè philosophantium, nempe Libavii, Jamblichii & aliorum, à Christianismo descivit, atque non metu coactus, nec honoris cupiditate impulsus, (erat enim Imperator) sed merâ animi malitiâ sanam Evangelii doctrinam, petulantissimis dictis & scriptis

ptis blasphemavit, Christianosq; modis omnibus exagitavit,
& strenuè persecutus est.

XXIV. Addendum hîc quoque esset de *ἀνὴρ ἕως* hetero-
doxorum: sed chartæ penuriâ exclusi, concludimus verbis
Doct. Heerbrandi: *Non hæceo animo scripta sunt, ut ad despera-
tionem miseri adigantur peccatores, veniam suorum delictorum
desperantes, quemadmodum Cain, Judas, Franciscus Spiera & alij:
sed hoc consilio à nobis suscepta est disputatio, ut materia difficilis &
obscura ex Scripturarum sacrarum collatione erueretur & illustra-
retur. Tantum.*

moniti meliora sequemur.



COROLLARIA.

I. Frustrâ Cardin. Bellarminus, lib. 1. de purgator. c. 4. Barradius
tom. II. Harm. Evang. l. 8. c. 17. & Romanenses alii, ex phrasi, Matth.
XII. 32. non remitteretur peccatum in Sp. S. neque in hoc, neq; in futuro
seculo, purgatorii cellam extruere conantur.

II. Clerici Pontificiorum Laicis calicem Eucharisticum subtrahentes à
Leone M. & Gelasio, Rom. Epp. ut & ab Excell. Dn. HOGELIO, Præpto-
re meo fidelissimo, in sua *Ἀνδείξει*, me Respondente Erfurti habita, rectè
notantur Sacrilegii. *Quomodo autem Patres Concilii Constantiensis,
sacrilegii hujus Autores, horrenda in Sp. S. blasphemia notam effugere
potuerint, ego cum Pl. Rev. Dn. D. Præside, Præptore meo nunquam satis
devenerando, in all. sua disp. de pec. in Spir. S. addit. 3. non intelligo.*

III. Miror B. Augustinum serm. XI. de verbis Dom. & nonnullos alios
Ecclesiæ Antistites, cum veteres, tum recentes, definire peccatum in Spir. S.
per finalem cordis impœnitentiam, quæ tamen, ut liquet ex thesi XIX. es-
sentiam hujus peccati à priori non constituit, sed eam constitutam saltem à
posteriori certò & infallibiliter comiratur. Neque solùm huic peccato
competit, sed aliis etiam præter essentiam accedere potest, tanquam, ut su-
prà diximus, adjunctum, modus seu conditio communis.

Δόξα τῷ Θεῷ.

99 A 6948

ULB Halle

3

002 840 022




Ruhr

Vb 17



DISPUTATION
D. ECCLESIAE





14

I. N. S. S. T.
EXERCITATIO THEOLOGICA
DE
PECCATO
IN
SPIRITUMSANCTUM


Quam
SUB FELICI PRÆSIDIO

VIRI
Maximè Reverendi, Amplissimi atq̄
Excellentissimi

DN. JOHAN. WEINMANNI
SS. THEOL. D. ET P. P. PRIMARI LONGE CE-
leberrimi, Antistitis Diœceseos Aلدorffinæ
vigilantissimi, Patroni, Præceptoris ac Pro-
motoris sui omni observantiæ ac honoris
cultu æternùm devenerandi,

IN ALMA NORICA
Placido Eruditorum examini submittet
THOMAS Starcken/Gronoviâ Saxon, infer.
Autor & Respondens

Ad diem VIII. Jul.
Anno à partu virgineo cło Io C LXIII.



Typis **GEORGI HAGEN**, Universitatis
Typographi.

